



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

6. Dies Martii. Quis est tam compositæ fœlicitatis, ut non aliqua ex parte, cum status fui qualitate rixetur? Boetius l. 2. p.4.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 6. DIES MARTII.

Quis est tam compositæ fœlicitatis, ut non aliqua ex parte, cum status sui qualitate rixetur? *Boetius l. 2. p. 4.*

Fortuna I.  
non nocet.

**S**I nolis cum statu tuo rixari, cum fortuna altercari, nunquam, in quacunque fortuna, sis alter: semper indissimili fortunæ conditione, tui similis. Nunquam fortuna tibi erit mala, si ipse non fueris malus. Hanc ergò, ne quidem novercam admitte in classem malorum. Malum tibi creas, si ab illa pendeas. Memineris illius Laconis, (a) quia ab alio quopiam, Lampem Æginetam, cum audisset fœlicem prædicari, quod prædives esset multorum navigiorum possessione, acutè respondit; fœlicitatem de funibus pendentem non magni se facere. Suspensa semper erit tua fœlicitas, si pendeat à tenui filo Fortunæ. Tum demùm vir eris, si animum tuum nec prospera fortuna efferat, nec adversa dejiciat: Si te existimes non infortunatum, etiam cum abstulerit omnes tibi fortunas. Iniquè enim conquereris, cum scias datum mutuum; itaque ignorare non potes, repetendum esse cum lubeat.

II. Quid quæris extra te fœlicitatem? Quisque vehit secum expeditam fœlicitatis officinam, Deus & homo solitarii satis sunt; quisque sufficit sibi; cuique inquam sufficit quod suum est. Unum puto præ omnibus fœlicem, qui in se uno, & Deo ponit omnia. Philosophus ille Priennensis, qui cum ex incendio nihil secum tolleret, omnia secum portare jactabat; noverat rem portatu facilem esse fœlicitatem.

(a) *Plutarch. in lacon.*

Martius.

Tessera.

175

Homo sibi cum Deo sufficiens, non deficiet animo inter pericula terræ; inter minas cœli, inter furias Inferorum. Non aliis armis, quàm inermis animi. Audax, nisi procax. Epictetus provocavit Fortunã. O Jupiter, inquit, plue calamitates, stationẽ meam servabo, non amitã bona mea, non pacem: plue labores, plue pericula, plue dolores, plue ignominias, plue inopiam: nec importunitas laborẽ, nec timor discriminis, nec sensus cruciatum, nec pudor opprobrii, nec incõmoda paupertatis incommodabunt mihi, non obruent gaudii, non turbabunt quietem domesticã cordis, non manitã modo, sed securã. Quis non erodat hic loqui non tam Gentilẽ, quàm Gentilium Magistrum Paulum? jactantem, quod neq; mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; Principatus quid multis? neq; creatura alia posset illum à sua d̄imovere voluntate, à suo separare amore. Quid miraris? Separaverat suum amorem à separabilibus. Erat non tantum supra Fortunæ regnum, sed extrã Fortunæ jactum.

III. Quis fœlicior Deo, à quo omnis fœlicitas, in quo nullus non fœlix? Nulli Deo thesauri sunt extrã Deum; omnia bona secum habet, ipse est. Nullus suæ fœlicitatis apparatus nisi ipse. Itaque frugalis beatitas est, sine sumptu. Quapropter victor Fortunæ, & contemptor fortunarum, qui sine rerum appendicibus se contentus vivit, quadam divinitatis æmulatione, sibi sufficit. Mirabilius dicam. Deus sufficit sibi, sed non superest. Totum quod est, necessarium sibi est; Itã tamen homo sibi (cum Deo tamen) sufficit, ut abundans sibi, & supervacaneum sit ferẽ dimidium sui: sufficit animus, superfluit corpus: adeò locupletes, affluentisque ipsa nos natura fecit.

cit. Non totum quod dedit, non totus homo requiritur felicitati hominis. De se superest, ut sit superior rebus, ut sit latus, foelix. Proscindatur manus, amputetur pes, resecetur brachium, eruantur oculi, amputata dextera, scissa tibia, secto armo, effosso lumine, mutilo corpore poterit gaudere, retinere quietem sui, integrum virum esse. Foelix esse potes etiam sine artibus, quid opus est fortunæ opibus? cuiusvis est integrum etiam sine corporis integritate gaudere, quid ad gaudii integritatem conquiris Fortunæ quisquilias? nunquam eris vir unus, si adhæreas fortunæ: nec enim fortuna est omnibus una. Causam si quæras, accipe ex Poëta:

*Si non mutarer, tunc non Fortuna vocarer.*

## 7. DIES MARTII.

Si vis beatus esse, cogita hoc primùm, contemnere, & contemni. *S. Martinus Episcop. Dumon. de Mont.*

Nec contemptus.

**H**ic se, velut meleominatum monstrum, objicit, quod omnes velut atrox malum, & metuunt, & fugiunt, contemptus; qui tantùm Naturæ adversatur, quantum honor lenocinatur. Hujus desiderio, illius metu, quot, & quanti per omnes ætates, ubique gentium viri per flammam, per maria, per ferarum laniatus, per armatorum cuneos, per densam telorum grandinam, in mortem ipsam ruerunt? Sed quid de contemptu sentiendum inquiramus. Ab aliquo tu contemne-